



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 99. Ferrariensis Cardinalis inocentia datis ad papam literis vindicata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](#)

**Sæc. XVI.** obtentu Venetas profecti sunt, Tridentum amplius non revertentes (\*).

§. XCIX.

*Ferrariensis Cardinalis innocentia datis ad Papam literis vindicata.*

**Pall. t. 14.  
n. 7. & 8.**

Interea Romæ adversus Cardinalem Ferrariensem, qui in Galliis legatione fungebatur, querelæ movebantur, nam cum Navarræ Regina cuiusdam Ministelli modestiam, ac moderationem plurimum exaggeraret, ac Ferrariensem Cardinalem ad excipiendam hujus Præconis concionem induceret, ea res Romæ in sinistram partem vertebarat, atque hoc obsequendi studium Legato in crimen dabatur: ut vero Cardinalis suam agendi rationem vindicaret, literas ad Papam dedit, easque per Niquetum Abbatem deferendas curavit: insuper Sanctacrucium, qui in Franciæ aula Papæ Legatus erat, rogabat, ut ipse desuper ad Pontificem scriberet: annuit Sanctacrucius, nuntiavitque Pontifici, narratum sibi fuisse a præcipuis Aulæ Ministris, quod nihil magis profuisset ad leniendum, inclinandumque animum

(\*) Intererat tamen sub Pio IV. Tridentinæ Synodo duo alii Poloniæ Episcopi Valentinus Herbutus Præmisilensis, & Stanislaus Faleschi Theodosiensis.

animum Joannæ Navarræ Reginæ ad Sæcul. XVI.  
partem Catholicam, quam exhibita hu- A.C. 1561.  
manitas in ea invisenda, ejusque con-  
cionatore auscultando: verum Ponti-  
fex, qui ad eam usque diem legatum  
suum in Patrum Senatu saepius defen-  
derat, nunc tamen palam Niqueto Ab-  
bati declarabat, quod postremum faci-  
nus sibi summopere displiceat, eo quod  
negotia Religionis non ea norma sint  
tractanda, qua res politicæ, præcipue  
cum Francia, prout ipsem Cardinalis  
satis aperte conspicerat, adeo præceps  
in fidei exitium ruat, ut jam de ea de-  
speratum sit, nisi proxima ruina per ex-  
tremam severitatem præpediatur.

## §. C.

*Ferrariensis epistola hac de re ad  
Cardinalem Borromæum.*

Postquam Cardinalis Legatus per suum *Pall. n. 12.*

Procuratorem de Pontificis responso  
certior fuerat factus, prolixa admodum  
epistola ad Cardinalem Borromæum da-  
ta suam agendi rationem vindicare ni-  
tebatur, exponens, quod Francia tan-  
tis premeretur malis, & illis nulla alia  
remedia, quam quæ ipse adhibuisset, op-  
poni potuerint: his dictis in sua episto-  
la subjunxit. „Equidem Franciæ Epi-  
scopi nondum ad Synodus profecti  
sunt, sed hæc cunctatio nec Reginæ  
regnanti,